



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,  
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice  
Methodum compendiarium reformationis Ecclesiasticæ à Concilio  
Tridentino factæ continente

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Principium 7. Claudicat Pupilli Contractus, si absque Tutoris assensu est  
factus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

## PRINCIPIUM VII.

Claudicat Pupilli contractus, si absque Tutoris assensu est factus.

*Sensus.*

Hoc est, quando Pupillus (eadem est ratio de Minoribus) sine Tutoris sui consensu, contractum aliquem inicit, cum eo, qui non est Pupillus aut Minor, tum alium quidem, spectato jure civili, obligare potest ad contractum implendum, non tamen ipse vicissim obligabitur, nisi juramento eum confirmet.

*Authoritas.*

Desumptum est ex §. neque. 2. Instit. de author. Tutorum. Item ex l. si Curatorem. 3. C. de in integr. restitut. illi de qua defendunt Molina. Sanch. Filliut. & plures alii apud & contra Bonac. d. 3. de restit. q. 1. pu. §. n. 6.

*Ratio.*

Quia, cum aetas haec ob rationis imbecillitatem facile in contractu decipi possit, æquum erat, ut illi potius per legem subveniretur, quam aliis, qui ob plenum rationis usum satis rebus suis prospicere non posse merito supponuntur.

*Praxis.*

Hinc deducitur 1. Pupillum aut Minorem non teneri ad solvendam pecuniam creditam, quam in lusu perdidit, uti Bonac. l. c. cum Sanch. Molin. Regia. Navarro & multis aliis docet.

Deducitur 2. Si Pupillus sine Tutoris consensu mercem emerit, invitum à venditore compelli non posse ad numerandum pretium; quamvis ipse Pupillus si contractu stare velit, civili actione cogere possit Venditorem ad tradendam sibi mercem pro constituto pretio, ut constat ex lege si id. ff. de rescind. vendit. & docet P. Layman l. 3. tr. 4. c. 9. n. 6.

Deducitur 3. Pupillum si cum alio Pupillo contractum, non posse illum obligare ad contractum implendum, cum eodem uterque privilegio gaudeat. Ita idem Bonac. l. c. n. 6.